

Συνυφίσαται γὰρ τὰ φυσικὰ ἔργα.

Τῷ νοερῷ φέγγει τοῦ πατρός.

“Coexistunt namque naturalia opera.

Intellectuali splendori patris.”

Iterum vocavit patrem ignem primum:

Οὐ γαρ ἐις ὅλην πῦρ επεκείνα τὸ πρώτον.

Καὶ δυναμιν κατακλειει ἔργοις, ἀλλὰ νόῳ.

“Non enim in materiam ignem illum primum.

Et vim, includit operibus, sed Menti.”

Non includit, inquit, suam vim ac primum suum ignem pater sine medio ullo in materiam, neque in eam immediate operatur. Sed includit proximae a se genitae menti. Cui vincta, a se prius perfecta tradidit.

Ait enim alio oraculo:

Πάντα γαρ ἔξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε.

Δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κληίζεται πᾶν γένος ἀνδρῶν.

“Cuncta enim perfecit pater, et menti tradidit.

Secundæ, quam primam vocat, omne genus hominum.”

Idem ergo Zoroastro est, etiam in patre, ignis primus, lux, lumen, et splendor, ignis inquam, quem alibi Ζωηφόριον vitiferum appellavit, vitam cunctis ferens, atque inferens. Hunc ignem Hermes, uti vidimus, φῶς, lucem vocavit. Moses autem ait, Deum dixisse, Fiat lux. Verbum scilicet Dei lucens. Cuius Mosis authoritas, non apud Hebraeos solum antiquitus plurimum valuit, deinde apud Christi Ecclesiam Sacrosanctam, verum etiam apud Orpheum Græcorum sapientum primum, ac sumnum. Post enim Chaldæum illum ita canit:

Αὐτὸς ἐπουράνιος, καὶ ἐπὶ χθονί πάντα τελευτᾷ.

Αρχὴν ἀντὸς ἔχων, ἄμα καὶ μέσον, ᾧ δε τελευτὴν.

Ως λόγος ἀρχαίων, ὡς υλογενῆς δίεταξεν

Εκ θεὸθεν γνωμησι λαβών, κατὰ διπλακα θεσσμὸν.

Αλλως οὖθιμον δὲ λέγειν.

“Ipse supercælestis, et in terra cuncta perficit.

Principium ipse habens, simul, et medium, atque finem.

Ut sermo veterum est, ut materigenius dispositus.

Α Deo mente accipiens in duplice tabula legem.”

Aliter non est fas dicere.

Non est ergo fas aliter dicere, ac docuerit Moses, qui duplice tabula legem θεόθεν a Deo accepit. At Moses docuit, se Deum vidiisse in rubo ardenti, in ignea columna. Unde forte accepit Plato, suam luminis, uti ostendimus, columnam.

In libris autem Mosis Hebraeorum sapientes, quos Cabalistas nominant, archanam quandam sapientiam viderunt. In qua Suprema Deitas, eorum lingua vocatur, Ensoph, quam dixerit infinitatem; principium, medium, et finem; sicut et Orpheus.

Appellarunt etiam, Lucem Adonai. Quæ in remotissimo, suæ divinitatis recessu habitans, et in Abysso fontani luminis, a suo fulgore non recedens simplicissima est unitas. Quæ cum vellet se de suo abysso promere, et manifesta facere amicta lumine, decem assumpsit indumenta (δέκα πτυχὰς, vocavit Orpheus) ut essent lumen, de lumine: et ea quæ in se erant, luce sua explicavit. Mundum scilicet produxit, quem vocaverunt Micantem. Qui *Panugia* illa Philonis dici potest. Ergo et Mosis, et Hebraeorum ab eo profectorum, archana sapientia, Deum summum, Lucem vocat, et abyssum fontani luminis, quæ forte paterna profunditas Chaldæorum est. Quæ de se mundum Micantem fulgentamque promit, Archetypum scilicet illud Dei Verbum.

Apollo quoque Delphicus, quisquis is fuerit vel malus Dæmon, vel bonus loci